

taverit Noa, quum aliàs vinea antè non sit facta mentio, & nunc dicatur, quòd cum esset agricola, cœperit vineam consere. Erant quidem (pergit) & ante diluuium vites, unde succus aliquis colligi potuit in morem vini. Nam omnes res naturales diebus sex ab orbis initio creatæ fuerant, ut deinceps natura tantum propagatio esset, non rerum novarum procreatio. Sed qui vites serie quadam plantavit multas simul, quod vineam vocamus (aliud enim est vites, aliud vinea, etsi Galli hoc non distinguant suâ voce vigne utrumque complectentes) nullus ante Noën fuerat: non E. vitem ut vulgò putatur Noe primus plantavit. Sic Ramban, sic Kinchi in Libro Radicum & alii Hebræi sentiunt ex ratione vocum. Vini ergò usum docuisse Noen & invenisse non dubitârim, etsi potuerit aliquis ante diluuium vini usus esse, non ita tamen studiosè elaboratus ex plantatione multarum simul vitium, quæ est vinea. Ubi quidem paullo liberalior Judæis videtur Mercerus, nobis tamen adhucdum adversus, qui usum vini satis amplum ac largum etiam ante Noam obtinuisse, supra ostendimus; ut ut majorem postea ac largiorem increbuisse non negemus. Licet verò textum hîc potissimum urgeant Adversarii, supra à nobis citatum ex Gen. IX. v. 20. quem *Vulgata* sic reddit: *Cœpit Noe Vir agricola exercere terram & plantavit vineam.* LXX. καὶ ἤρξατο Νῶε ἀνθρῶπιον γεωργὸς γῆς καὶ ἐφύτλωσεν ἀμπέλωνά. Frustra tamen hinc causæ suæ patrocinium quærunt. Sive enim verbum **וַיִּחַל** cujus explicatio hîc utramque facit paginam, à **חלל** derives, ut idem significet, atque *incipere*, sive à **חלל** *permanere*, nihil hinc pro ipsorum sententiâ collegeris. Quem enim latet Ebraismus usitatissimus, quò verbum **חלל** ex idiotismo lingvæ sanctæ ita adhibetur, ut actionis verbo connexum ipsam actionem significet vel exprimat. Confer *rei literaria summum Decus*,